

quas ipse, aut pater, aut frater ejus fecerant in loco de Vidifione erant, & debebant esse canonicorum, sicuti erat ante ipsam acquisitionem.

Ad quod Bocatius respondebat, quod habebat in feudum ab Episcopo Aquensi decimam totius sui poderii de Vidifiono, aut omnium acquisitionum, quas ipse, aut sui possent ibi facere.

Item dicebant Canonici, quod debebant habere quartum, & decimam in Gerba de Campo, quem tenent illi Hugone Maginis, qui jacet juxta Ecclesiam Calamagnæ (1), cui coheret via a duabus partibus & ex alia parte terra Ecclesiae de Vidifiono; & dicebant praefati Canonici, quod debebant habere quartum, & decimam unius campi, qui est in Casanova (2), & fuit Arnaldi Amalgosi, & aliarum terrarum, quas Bocatius antiquitus habebat ibidem (3), & hoc in gerbis cui coheret via, plebs Calamagna, & Bocatius, & Wilielmus Blancus. Item dicebant quod debebant habere quartum, & decimam campi de Ulmo, quod jacet in loco, qui dicitur Montexel.

Ad quod Bocatius respondebat, quod Canonici nunquam habuerant quartum campi Amalgosi, & terrae quam tenent illi Ugonis Maginis, nec habere debebant. Campi vero de Ulmo, & aliarum terrarum, quas habet in Casa nova dicebat quartum fuisse Canonicorum, sed pater ejus in feudum ipsum adquisierat a massariis Canonicorum, quos massarios Canonici constituerant jurantes firmum, & ratum habere quidquid facerent.

Ad quod Canonici respondebant, se non credere quod massarii unquam dedissent praedictum quartum Patri Boccacii in feudum, & si dedissent, nihil valuisset de jure, & cassatum esset per sententiam datam a curia inter Aquenses cives, & Canonicos. Campo de Ulmo coheret ab una parte terra illorum Gili, ab alia Vilelmus Blancus, & ab alia via.

Super hac controversia nos O. R. B. O. I. A. Aquenses Consules visis utriusque partis allegationibus, ac diligenter inspectis consilio A. Assessoris nostri, & aliorum plurimorum sapientum sententiam dedimus praedictum Boccacium ad restitutionem infra decimae, & quarti condemnantes, & ut ea de cetero Canonicis quiete dimittat praecipientes. Dat. ann. Incarn. Dom. MCLXXXVI., ind. III., die lunae XI. calend. aug. Actum in civitate Aquis in Canonicae claustrum feliciter amen. Interfuere testes Dodo Bellerii, Ugo Amaldus de Porta, Agras, & Aicardus, & multi alii. Et ego Petrus Notarius S. Palatii &c.

(1) Ex antiquioribus Diocesis Ecclesiis erat ista. Etenim, ut ex decreto Anselmi Episcopi Aquensis, quod postea suo loco proferam, haec a Regibus Hugone, & Lotario Ecclesiae Aquensi fuerat donata. Ceterum nunc obruta ruinis jacet vix conspicienda.

(2) Haec sicuti praecedens sita est in finibus oppidi Morzaschi, atque ipsi contermina. Vicus olim erat haud obscuri nominis, cujus tamen vestigia temporis vetustas jam dudum deleuit. Solum anno 1578. a DD. Lodronis ejus loci Toparchis praedium eo loci rusticum veteris structurae edificatum fuit, quod adhuc remanet.

(3) Ex Boccacciorum gente extat adhuc una, aut altera familia in hoc oppido Morzaschi. Ad hanc referri possunt duae chartae, in quarum una an. 1554.

15. april. rog. Verzellus de Planis asseritur possessionem quandam in Casanova, olim Aloysii Boccaccii emtam fuisse, ac praedio rustico unitam a Com. Johan. Bapt. Lodrono, in earum vero altera antiquiore anni 1479. 6. maii, rog. Sebast. Lemuggi habetur D. D. Aloysium, & Capitaneum Innocentium ex Boccacciis constituisse quendam Joannem Buffam suum procuratorem villicum, & collectorem omnium terrarum, & rerum, quas ipsi pater, & avus eorum antiquitus habuerunt libere in Burgo, seu Burgis Vidixon Murifaschi, & Trixobii.

*Sententia Ugonis Episcopi Aquensis adversus Manfredum Boccacium.*

MCLXXXVII.

70

Dum causa quaedam verteretur coram consulibus de Aquis, inter Canonicos Aquenses, & Manfredum Boccacium, quod Canonici proponebant decimas omnium acquisitionum . . . quae praedictus M. nolens confiteri, & a praefatis Consulibus condemnatus ab eorum sententia ad D. Ugonem Aquensem Episcopum appellavit. Praedictus itaque Episcopus auditis utriusque partis allegationibus, & prout potuit diligenter inspectis consilio Henrici assessoris sui, & aliorum plurimorum sapientum confirmans sententiam Consulium Manfredum ad restitutionem omnium condemnavit. Dat. Aquis ann. Dom. Nativit. MCLXXXVII. ind. V. mense junii. Et ego Petrus Notarius S. Palatii praesente Henrico assessore, Praebitero Vellelmo Capellano, Ottone Scriba, & Henrici de Coturbia testibus rogatis jussu suprascripti D. Ugonis Episcopi Aquensis hanc confirmationem scripsi.

(1) Hic summatim repetuntur ea, quae in charta superiore prolata jam fuerunt, quaeque propterea consulto ommittimus.

*Diploma Henrici VI. monasterio S. Mariae de Tilieto ex chartulario ejusdem monasterii.*

MCLXXXVII.

71

In nomine sanctae, & individuae Trinitatis Henricus VI. divina favente clementia Romanorum Rex Augustus. Ea quae ad Deo famulantium munimen, atque tutelam impofterum providentes pia sollicitudine decretalis paginae praeeptione fancimus ad nostrae videlicet salutis, nostrorumque successorum, ac totius Imperii promotionem proficere nullatenus dubitamus. Quapropter noverit universorum tam praesentium, quam futurorum Domini Dei, ac sacratissimi Imperii nostri fidelium sagacitas, quod nos pro amore Beatae Dei Genetricis, Virginisque perpetuae Mariae, ac petitione Nicolai Venerabilis Abbatis monasterii Civitaculae, cum omnibus rebus, ac possessionibus ad ipsum pertinentibus in protectionem, & tutelam nostram suscipimus, & universa, quae nunc habet, aut possidet, seu in futurum Deo propitio juste acquiescere poterit, eidem monasterio praesenti rescripto concedimus, & confirmamus, videlicet sedem ipsius monasterii, & quidquid ei in montibus, aut in alpebus a Marchionibus, vel quibuslibet aliis proprietario,